



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

7. De Ingressu Christi in cœlum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

intimis præcordijs exclamauit : Pater  
 4. Reg. e. mi, Pater mi, currus irasl, & aurigacius !  
 Cant. 2. Et cum Sponiā : Trahe nos post te, curre-  
 mus in odorem vnguentorū tuorum ! quan-  
 ta mentis dulcedine se perfundi, quam  
 insolita vi se trahi post dilectum suum  
 senserint, ut oculis saltem abeuntē  
 sequendo non viderentur posse satia-  
 ri, usque dum per apparetos Angelos  
 regredi in Ierusalem iuberentur ! Quā  
 æquum est & nos eundem Dominum,  
 & sponsum nostrum, tam amabilem,  
 instar aquilæ prouocantis ad volandū  
 pullos suos, omnes ad se inuitantem  
 & post se trahentem conari saltem de-  
 siderijs cordis sequi, desiderando me-  
 dullitus ab amore terrenorum expedi-  
 ri, mente in cœlestibus habitare, & so-  
 lum, quæ sursum sunt sapere, nec quic-  
 quam aliud in terris expetere, quam  
 diuinam eius gloriam omnibus modis  
 semper & ubique propagare ! Amor,  
 congratatio, zelus gloriæ Christi,  
 desiderium cœlestis patriæ.

## VII.

## De Ingressu Christi in cœlum.

Psal 67.

I. Ascendens Christus in altum, capti-  
 uam duxit captiuitatem ; magno  
 cum triumpho & iubilo, ium iustorū  
 è limbo liberatorum, comitantium &  
 plau-

plaudentium, tum Angelorum congratulantium & concincentium ingressus est cœlum Empyreum. Quanto gaudio beati illi recens è squalore limbi educti ineffabili cœlestis illius domicilij amplitudine, splendore, magnificentiâ stupefacti exclamarint : *Quam dilecta tabernacula tua Domine Psal. 83.* virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et : *Domine bonum est Matt. 17.* nos hic esse ! Quanta exultatione Angeli partim ipsum comitantes, partim obuiam occurrentes eidem applauserint ! iuxta illud : *Currus Dei decem Psal. 67.* millibus multiplex, millia latantium. Et : *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Seque in uicem cohortantes ingeminarint : Psal. 23.* Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite, quoniam Rex omnis terra Deus, psallite sapienter. Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli *Psal. 67.* ad orientem. Quām lætabundi hī cæteros, qui in celo remanserant alloquentes dixerint : *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloria. quærentibus autem illis ; Quis est iste Rex gloria ? responderint : Dominus fortis & potens in prælio. conspicati porro Christum, simul & cicatrices vulnerum circumfrentem, & inenarrabili fulgore coruscantem.*

scantem, iterum attoniti interroga-  
rint: *Quis est iste, qui venit de Edom, tun-  
dis vestibus de Bosra? iste formosus in sto-  
la sua gradiens in multitudine fortitudinis  
sua?* Quibus cum ipse respondisset:  
*Ego sum, qui loquor iustitiam, & propug-  
nator sum ad saluandum, simul omnes  
suplices & venerabundi illi accla-  
mavit: Dignus est agnus, qui occisus est,  
accipere virtutem, & diuinitatem, & sa-  
pientiam, & honorem & gloriam, & be-  
nedictionem.* Quanto demum liquidio-  
re gaudio perfusus bonus pastor Chri-  
stus, ob ouem perditam morte sua re-  
cuperatam, cœloque redditam, exul-  
tabundus Angelis dixerit: *Congratu-  
lamini mihi, quia inueni ouem, qua perie-  
rat.* His expensis exerce similes affe-  
ctus gaudij & congratulationis de  
gloria Christi, zeli honoris eius, desi-  
derando eundem ab omnibus agnisci,  
amari, & glorificari sicut in cœlo, sic  
& in terra.

II. Perueniens ad thronū æterni Pa-  
tris Christus, quanto humilitatis, re-  
uerentiæ, amoris sensu obrulerit ei-  
dem prima expeditionis sux spolia,  
cœtum iutorum; rationemque im-  
positi sibi operis iam confecti red-  
dens, subiecerit: *Pater manifestavi no-*

*men*

*Isa. 63.*

*Apoc. 5.*

*Luc. 15.*

*Ioan. 17.*

mentuum hominibus, & te clarificaui super terram. Opus consummaui, quod dedi mihi, ut facorem. Et nunc clarifica tui me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret, apud te. Quam exultabundus Pater hoc oblatum munus acceperit, & confessim Filio dixerit: *Sede à dextris meus, Psal. 109.* constituens eum supra omnem creaturam, ut in nomine eius omne genu flectatur! Quanto iterum humilitatis, gratitudinis, amoris affectu hanc tantam Humanitatis suæ exaltationem acceptarit Filius? Congratulare Christo, & similes humilitatis, gratitudinis, amoris affectus exemplo eius exerce.

III. Quamprimum confedit ad dexteram Patris, quam promptè mox eiusdem nutu munus iudicis & remuneratoris auspicari cœperit, singulis Sanctorum, quos secum adduxerat, pro meritis inter choro Angelorum thronos proprios assignando, sicque ruinas Luciferi & sociorum restau-rando! item munus summi Pontificis & aduocati, pro nobis Patrem assidue interpellando, & cicatrices vulnerum suorum repræsentando! iuxta illud: *Non enim in manu facta sancta Heb. 4.*  
Iesus

Iesus introiuit exemplaria verarum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultus Dei pro nobis.

*I. Ioan. 2.* Et: Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris? Congratulatio, gratitudo, fiducia, zelus perfectè seruendi tam liberali remuneratori.

---

I. Dominica infra Octauam Ascensionis, *Ioan. 15. & 16.*

*I. C*um venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Quād luculentum Spiritus sanctus Christo perhibuit testimonium, illuminando discipulorum, aliorumq; fidelium intellectum, & purgando, inflammando, confirmandoq; affectum, ut veritates à Christo reuelatas constanter crederent, & ad mortem usque propugnarent, & doctrinæ Euangeliæ in omni perfectione sectandâ, vitam moresque suos conformarent! Simili modo Apostolici viri Christo perhibuere testimonium hæc eadem ipsis à Spiritu sancto inspirata, alijs ver-